



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica quinta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

24 Dominica V. post Epiph. D.

Et sibi timent : *Domine! perimus.* Planè Deo præsente timendum est nihil. Excipio solum peccatum. Hoc timeamus, & Deum diligamus. Hic timor : Hæc dilectio nobis rapiet cœlum.

Instructio meritoria.

Ut ostendamus, quanta nobis de præsencia Dei fides, ingredienti cubiculum statim flectamus, & illò Psalmo salutemur : *Venite! exultemus Domino, jubilemus &c.* Deus mecum!

Dominica V. post Epiphaniam.

EXHORTATIUNCULA I.

CUM dormirent homines, venit inimicus homo. O infelicem quietem! O multorum malorum seminarium! benè S. Cyprianus : Si diabolus imparatum invenerit militem Christi, si non sollicitum, si non vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Id quoties contigit incuriis nobis? Verùm præveniamus.

Instructio meritoria.

Labore manuum, & sudore studiorum,

rum, aut aliorum bonorum operum, inter quæ hodierna transigatur dies. In cubiculo igitur, dum soli cum solo Deo sumus, aut scribamus, aut legamus, aut studeamus sæpè ad animæ inimicum reclamantes: *Vade retro Satana!* dicamus insuper Canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.*

II.

Flli! tremendam hodie audiemus ex S. Evangelio sententiam: *Colligite zizania, jubet Christus. & alligate ad comburendum.* Nescimus, an inter zizania, an verò inter triticum simus computandi? an mittendi ad comburendum; an potiùs congregandi in Dei horreum? A Judicio Dei id pendet. Quid agemus?

Instructio meritoria.

In brachia ferientis Dei ruamus, & hodie contrito corde illum Rythmum dicamus: *Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miseriæ &c.* Humilibus dat gratiam.

B

III. Re-

III.

Rectè dicitur : Homo homini lupus. Nulla scævior homini bellua, quàm ipse homo sibi, si vixerit secundùm sensus, & carnem. Si pereat, ex se perit : Nam stygius draco non deglutit nisi volentem. O damnatam voluntatem, si peccatum sapiat!

Instructio meritoria.

Inimico debetur odium, bruto flagellum : Et quid corpori nostro ? genus vitæ durissimum. Hodie humiliemus unò, vel altero actu abstinentiæ, ut desinat grunnire addamus & 15. *Pater ac Ave* expansis brachiis.

Dominica VI. post Epiphan.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quanta mysteria in hodierno Evangelio ! præcipuum verò in verbis : *Minimum quidem est omnibus seminibus ; cum autem creverit, majus est omnibus oleribus.* O fili ! sensus verborum est : à minimis incipiunt, qui
in